

dam, sed cum caritate, & mirabili suavitate atque sapore conjunctam, quasi sapidam quamdam scientiam, intelligimus, quam inter omnia Spiritus sancti dona principem locum tenere constat. Ejus vero actio est, divinæ pulchritudinis contemplatio, in cujus exercitatione inchoatam hominis beatitudinem collocamus: in qua quum beatissimus pater Hieronymus tota vita versatus fuerit, de ea in reliqua concionis hujus parte differemus; quamvis doctrina hæc, ut modo diximus, non ad omnes, sed ad paucos præcipue spectet, quibus tamen debitores sumus. Quum enim Apostolus (a) sapientibus & insipientibus se debitorem fateatur, nos quoque ejus exemplo utriusque debitores sumus. Nunc igitur consequens esse videtur, ut primo loco hujus divinæ sapientiæ dignitatem & pretium videamus, quo ad eam capessendam promptiores alacrioresque reddamur.

Et quidem magnificas illas laudes, quæ in sacra hujus diei lectione continentur, in quibus sapientia (b) cunctis mundi opibus & regnis antefer-

tur, prætereo: venio ad beatum Job, in illo suo sterquilinio, tamquam in regia cathedra, sedentem, mirabiliterque de vera sapientia philosophantem, ejusque laudes prædicantem; sic enim ait: (c) *non dabitur aurum obrizum pro ea, neque appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis India coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa & eminentia non commemorabuntur in comparatione ejus: hoc est, nihil est tam excelsum in rebus corporeis, nihil tam pretiosum aut magnificentum, quod dignum sit, non dicam comparari, sed neque commemorari in comparatione sapientiæ. Ejus quippe dignitas infinitis prope partibus corporearum rerum valorem & dignitatem superat. Quum autem vir sanctus excelsa & eminentia dixit, ea intellexit, quæ in sublimi & excelso loco posita inter homines eminent; qualia, sedes, regna & imperia sunt: quibus alio in loco Sapiens (d) longe multumque sapien-*

(a) Rom. 1. 14. (b) Prov. 3. 15. & Sap. 7. 8. (c) Job 28. 15.
(d) Sap. 7. 8.

pientiæ donum antetulit.

Hoc autem ita esse, ut alia prætereamus, unius D. Gregorii exemplo satis aperte discimus; qui in summum totius orbis christiani pontificem electus, quid non fecit, ne a Rachelis suæ amplexibus, hoc est, a divinæ sapientiæ studio & contubernio, divelleretur? Nam ad imperatorem litteras misit, ne ulla ratione ejus electioni consensum præberet. Et permittatis, ne agnosceretur, vestibus, Roma egressus, in cavernis perrarum, & ferarum lustris latere tentavit: & latuisset, nisi fulgida columnæ indicio illum Dominus prodidisset. Unde flens & ejulans ad B. Petri cathedram evehctus est. Quid vero in ea residens? quibus lacrimis & lamentis sortem suam deplorat, quod ab hujus amantissimæ sponsæ contubernio, cum qua jucundissimam in monasterio vitam agebat, fuerit separatus? Hoc enim ipse, initio statim dialogorum cum Petro diacono suo familiariter agens, animique sui æstus amico homini declarans, exponit his verbis: „ infelix „ animus meus, occupationis „ suæ pulsatus vulnere, meminit, „ qualis aliquando in mo-

Tom. III.

(a) Psalm. 36. 16.

„ nasterio fuerit, quando ei „ labentia cuncta subtraherant: „ quantum rebus omnibus, quæ „ voluntur, eminebat; quod „ nulla nisi cælestia cogitare „ consueverat, quod etiam re- „ tentus corpore ipsa jam car- „ nis claustra contemplatione „ transibat, quod mortem quo- „ que, quæ pæne cunctis pœ- „ na est, videlicet ut ingres- „ sum vitæ & laboris sui præ- „ mium amabat. „ Hactenus Gregorius. Cujus auctoritas satis nobis ad sapientiæ dignitatem intelligendam esse debet; quandoquidem hic summus vir, utriusque status conditionem expertus, quum & monachus & pontifex maximus fuerit, monachi, hoc est, sapientiæ delicias summæ totius orbis dignitati prætulit: quibus tamen sanctissimus pater nequaquam in summa illa dignitate caruisse putandus est; sed unam tamen illam, ut ita dixerim, guttulam, qua tum forte carebat, summæ totius orbis dignitatis præferbat. Expertus quippe erat, non temere a propheta fuisse dictum: (a) *melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.*

Neque hoc plane aut mirum aut incredibile cuiquam

G 3

vi-

videri debet. Si enim paullo ante summum hominis bonum, quod in hac vita haberi potest, in sapientiæ opere, hoc est, in divinarum rerum contemplatione & amore, positum esse diximus; quid mirum, huic summo bono cetera mundi bona, hoc est, regna, sedes & imperia, cedere, & inferiori loco stare? Hæc est enim inchoata hominis felicitas & beatitudo, hæc omnium curarum & desideriorum requies, hæc interna illa pax, quæ exsuperat omnem sensum, cui nullæ mundi opes atque delitiæ ullo modo comparari possunt. Hoc tamen sæculi homines minime credunt, quia hujus status opes atque delicias experti non sunt. At longe aliud sentirent, si eas aliquando vel minimam ex parte degustassent. Neque enim D. Augustinus, qui eas degustaverat, mentitus est, quum dixit: *qui biberit ex fluvio paradisi, cujus una gutta major est Oceano, restat, ut in eo omnis mundus hujus sitis extinguatur.* Rectissime enim & brevissime D. Gregorius ait: (a) *anima videnti Deum angusta est omnis creatura.*

Si igitur tanta hæc felicitas in sapientiæ opibus constituta

est; dignum est profecto, ut, ubi tantus hic thesaurus reconditus sit, inquiramus. Hanc autem in primis curam Baruch propheta suscepit, qui, post magnificas sapientiæ laudes, ejus locum inquit his verbis: (b) „quis invenit locum ejus, & „quis intravit in thesauros „ejus? Non est audita in „terra Chanaan, neque visa „in Theman. Filii quoque „Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, „negotiatores terræ & Theman, & fabulatores & exploratores prudentiæ & intelligentiæ; viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ dedit illis: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Quis ascendit in cælum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, & invenit illam, & attulit illam super aurum electum? Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus. „ His porro interrogationibus vir divinus non modo in-

(a) Gregor. in Dialog. (b) Baruch 3. 15. 22. 23. 27. 31.

inveniendæ sapientiæ difficultatem, sed ejus etiam dignitatem declarare voluit. Vere enim (a) *procul & de ultimis finibus pretium ejus.*

Verum ne hoc tanto bono homines carerent, ostendit protinus sapientiæ locum, quem in solo Deo, unico veræ sapientiæ auctore, collocavit. Subdit enim: (b) *hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Is igitur, qui increata Patris sapientia est, e cælo in terram delapsus, hanc sapientiam, quam in Patris & Filii cognitione sitam esse dixerat, nobis tradere dignatus est. Non enim in hoc solum venit, ut homines immaculato corporis & sanguinis sui sacrificio redimeret, sed etiam ut veram illis sapientiam, quæ viam patefacit in cælum, traderet.

Ne quis autem tantum hoc bonum desperaret, ipse nos ad ejus communionem amantissimis his verbis in evangelio invitavit: (c) *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* omnes, inquam, qui in felicitatis in-

quisitione laboratis, quam per varia negotia, magno, sed tamen casso, labore inquiritis; omnes item, qui partim peccatorum, partim multiplici curarum pondere onerati estis, venite ad me, ego enim vos reficiam, ego insatiabilem istam cupiditatum vestrarum famem satiabo: ut sic tandem, quam desideratis, animarum vestrarum quietem invenire possitis.

§. II.

Nunc reliquum est, ut inquiramus, quibus tandem hominibus hanc spiritualem refectioem & quietem, hoc est, hunc pulcherrimum sapientiæ thesaurum cælestis hic sapientiæ doctor tradere voluerit. O rem admiratione dignissimam! Non ait prudentibus aut sapientibus mundi, non regibus aut principibus; sed parvulis, hoc est, humilibus, pauperibus, & si externam corporis faciem spectes, despiciatissimis hominibus, quos mundani homines videre solent, & vitam illorum insaniam computare. Quid enim, quod ad externam speciem attinet, sanctissimis illis anachoretis, ceterisque monachis sanctissimis, qui relictis omnibus

(a) Prov. 31. 10. (b) Baruch 3. 37. 38. (c) Matth. 11. 28.

se totos hujus divinæ sapientia studio consecrarunt, abjectius? quid villius? quid pauperius? Qui nihil prorsus in hoc mundo possidebant, non agrum, non fundum, non domum, non pecuniam, non servum, non ancillam, non denique quidquam aliud. At hi omnes exterius quidem erant pauperes, interius veris animi opibus divites: exterius nudi, interius cunctarum virtutum gemmis ornati: in oculis hominum abjecti, ante Dei conspectum pretiosi: exterius nihil habentes, intus omnia in uno Deo possidentes: in oculis hominum deformes, in divinis oculis formosi: iudicio mundi miseri ac tristes, at vera illa & summa felicitate & sapientia, quam supra miris in cælum laudibus extulimus, gaudentes.

Quis igitur horum vitam ut tristem & luctuosam non horreret? At ea tam multis magnisque spiritus delitiis circumfluebat, ut omnes corporæ voluptates, horum delitiis comparatæ, nihil aliud quam mera amaritudo essent. Omnis enim eorum gloria, omnisque felicitas ab intus, hoc est, non in externis corporis bonis, quæ sunt nobis cum pecudibus

communia, sed in bonis animi, quæ sunt angelorum propria, sita erat. Ut enim thesauri ingentes inter carbones aliquando inventi sunt; sic hæc tanta felicitas & gloria in his hominibus, pannis obstitis, externaque specie abjectis, deprehensa est. Quid enim sanctissimis his patribus, quid eorum principi Paulo eremita pauperius, cui una palma obsonium & indumentum præbebat? Quid ceteros ejus sectatores, qui solis herbarum radicibus victitabant, commorem? Quis autem internas horum opes atque delicias explicare queat? Quomodo enim solitudinis secessum, Solis ardorem, horrendam squalentis eremi faciem, omniumque humanarum consolationum abdicationem homines nobis similes passibiles perferre potuissent, nisi internis divini spiritus consolationibus reficerentur; tantoque pluribus animi divitiis abundarent, quanto majori eorundem corpora paupertate & inedia premebantur? Ea enim divinæ consolationis vis & magnitudo erat, ut ne ad momentum quidem divinæ pulchritudinis intuitu mentem revocare vellent, & vix interim possent.

Cu-

Cujus rei memorabile exemplum, ut cetera, quæ sunt innumera, præteream, commemorabo. Quum quidam ex his sanctis patribus a vicino quodam anachoreta nescio quid utensilium postulasset; ille, qui tota mente in Deum ineffabili quadam dulcedine absorptus erat, interius cubile, ut id asportaret, ingressus, & sui ipsius, & vicini, & rei, quam is quærebat, oblitus, ibidem permansit immotus. Quumque illum vicinus compellisset, & ad se vocatum, rei, quam petebat, admonuisset; ille rursus cubiculum ingressus, eademque, qua prius, oblivione correptus, ibidem permansit, donec tandem, vicini monachi vocibus increpatum, quod tamdiu moraretur, ille supplici oratione petentem rogat, ut is, cellulam ingressus, quod volebat acciperet; se nullo modo posse rem, quam postularat, ne illa quidem brevi temporis mora, mente retinere. Tanta enim divinæ dulcedinis & suavitatis vis est, ut omnes ad se vires animi rapiat; tantoque illam amoris & suavitatis glutino illi copulet, ut nullo modo mentem alio deflectere, nisi summo cum labore, sinat. Sæ-

pe enim qui se totos hujus divinæ sapientia studio dediderunt, vellent ab hac sua paululum commentatione cessare, ne fragilis natura corporis nimia exercitatione gravetur: quod tamen nisi cum magno labore possunt. Tanta divinæ consolationis vis & efficientia est.

Quæcumque igitur anima huc pervenit, in hujus sapientia, hoc est, in summi thesauri possessione collocata est. Multos autem monachos, multas etiam virgines & viduas, in hac etiam mundi face, in qua modo degimus, reperire licet sub humili habitu atque fortuna degentes, quibus hunc incomparabilem sapientia thesaurum, qui omnes mundi opes atque imperia longe superat, invenire datum est; quos Dominus sustulit super altitudines terræ, & cibis hereditate Jacob: quæ non alia, quam ipse Deus est. Hic est autem evangelicus ille thesaurus in agro absconditus: hæc pretiosa illa margarita, pro qua prudens ille mercator vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

Sed quid externa quærimus, quum unus beatissimus pater Hieronymus ad hoc nobis plen-

nis-

nissime sufficiat? Is enim in epistola quadam ad virgines Deo dicatas de se ipso sic ait: „ experto seni consulenti cre- „ dite filiæ: si semel gustastis, „ quam dulcis est Dominus, „ poteritis ab eo illud audire: „ (a) *venite, & ostendam vobis „ omne bonum.* Scio quid lo- „ quar, carissimæ. Nam ut „ meam insipientiam loquar, „ ego homunculus sic abje- „ ctus, sic vilis in domo Do- „ mini, adhuc vivens in cor- „ pore, angelorum sæpe cho- „ ris interfui, de corporeis „ per hebdomadas sustenta- „ tionibus & nutrimentis ni- „ hil sentiens divinæ visionis „ intuitu. Post multorum au- „ tem dierum spatia præcius „ futurorum, redditus corpo- „ ri flebam. Quid ibi manens „ felicitatis habebam, quid „ inenarrabilis delectationis „ sentiebam, testis est ipsa „ Trinitas, quam cernebam, „ nescio quo intuitu: testes & „ ipsi beati spiritus, qui ade- „ rant: testis est etiam con- „ scientia mea; quæ tantis bo- „ nis ipse fruebar, quot & „ qualia nescit proferre infir- „ mitas corporis mei. „ Ha- „ ctenus Hieronymus. Quid i- „ gitur hac felicitate majus?

quid mirabilius?

Si quis autem hanc esse Hie- ronymi epistolam neget, mul- to majora sunt, quæ idem in epistola ad Eustochium de vir- ginitate servanda litteris pro- didit: in qua non solum has divini spiritus delicias, sed mi- rabiles etiam virtutes, quibus ad eas vir sanctissimus perve- nit, luculenter scribit; sic e- nim ait: (b) „ o quoties ego i- „ pse in eremo constitutus, & „ in illa vasta solitudine, quæ „ exusta Solis ardoribus horri- „ dum monachis præstat habi- „ tulum, putabam me Ro- „ manis interesse delitiis. Se- „ debam solus, quia amaritu- „ dine repletus eram. Horre- „ bant sacco membra defor- „ mia, & squalida cutis situm „ Æthiopica carnis obduxe- „ rat. Quotidie lacrimæ, quo- „ tidie gemitus, & si quando „ repugnantem somnus immi- „ nens oppressisset, nuda hu- „ mo vix ossa hærentia colli- „ debam. De cibis vero & po- „ tu taceo, quum etiam lan- „ guentes monachi aqua frigi- „ da utantur, & coctum ali- „ quid accepisse luxuria sit. Il- „ le igitur ego, qui ob gehem- „ næ metum tali me carcere i- „ pse damnaveram, scorpio- „ num

(a) *Exod. 33. 19.* (b) *Hieron. in Epistol. ad Eustoch.*

„ num tantum socius & fera- „ rum, sæpe choris intereram „ puellarum. Pallebant ora je- „ juniis, & mens desideriis æ- „ stuabat. In frigido corpore, & „ ante hominem suum jam car- „ ne præmortua, sola libidinum „ incendia bulliebant. Itaque o- „ mni auxilio destitutus ad Je- „ su jacebam pedes, rigabam „ lacrimis, crine tergebam, & „ repugnantem carnem hebdo- „ madarum inedia subjuga- „ bam. Non depudescio infide- „ litatis meæ, quin potius plan- „ go, me non esse quod fue- „ rim. Memini me clamantem, „ diem crebro junxisse cum „ nocte: nec prius a pectoris „ cessasse verberibus, quam „ rediret Domino increpante „ tranquillitas. Ipsam quoque „ cellulam meam quasi cogita- „ tionum mearum consciam „ pertimescebam: & mihimet „ iratus & rigidus, solus de- „ ferta penetrabam. Sicubi con- „ cava vallium, aspera mon- „ tium, rupium prærupta cer- „ nebam; ibi meæ orationis „ locus, ibi illud miserrimæ „ carnis ergastulum projecie- „ bam. Et, ut ipse mihi testis „ est Dominus, post multas la- „ crimas, post cælo inhæren- „ tes oculos, nonnumquam vi-

„ debar mihi interesse agmini- „ bus angelorum, & lætus gau- „ densque cantabam: (a) *post „ te in odorem unguentorum tuo- „ rum curremus.* „ Hactenus „ sanctissimi P. verba, quæ ma- „ gnam certe nobis sanctitatis e- „ jus opinionem, virtutumque „ ejus admirationem excitare de- „ bent. His enim virtutibus pa- „ ter sanctissimus ad eas spiritus „ delicias pervenit, ut sibi inter „ angelorum agmina post multas „ lacrimas versari videretur, ubi „ propheticum illud experieba- „ tur: (b) *secundum multitudi- „ nem dolorum meorum in corde „ meo, consolationes tuæ latifica- „ verunt animam meam.*

Non tamen ego a vobis, fra- tres, eadem, quæ vir sanctissi- mus de se ipso memorat, re- quiro: non solitudinis seces- sum, non squalentis eremi ha- bitaculum, non hebdomada- rum inediam, quam hæc no- stra regio, ut Joannes Cassia- nus ait, minime patitur. Quid igitur? requiro plane castiga- tionem carnis, ut videlicet (c) *offeratis corpora vestra, sicut A- postolus ait, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, ratio- nabile obsequium vestrum.* Re- quiro sacras vigiliis, divina- rum rerum studium, orationis

(a) *Cant. 1. 3.* (b) *Psal. 93. 19.* (c) *Rom. 12. 1.*

instantiam, in qua Dominus has divini spiritus delicias piis hominibus impertiri solet, quemadmodum ipse per prophetam pollicitus est, quum ait: (a) *adducam eos in montem sanctum meum, & latificabo eos in domo orationis meae.*

Jam nunc, quid ex his, quæ hæc dicta sunt, consequatur, concludamus. Diximus initio, disciplinarum omnium maxime hominibus necessariam esse eam, quæ doceat recte vivere. Recte autem vivere esse, vitam rectis institutis ad suum finem dirigere. Hunc autem finem, cujus gratia homo a Deo conditus est, in futura quidem vita in aperta divinæ pulchritudinis visione, in præfenti autem in sapientiæ possessione, & divinarum rerum contemplatione, positum esse. Quocirca quisquis non contentus futuræ beatitudinis spe ad hanc etiam inchoatam beatitudinem, quæ paucorum est, aspirat, omnes curas & cogitationes suas, & omnia vitæ studia ad hunc finem destinare debet. Omnia vero alia, quæ huic fini non serviunt, velut extranea, & ad se, hoc est, ad hunc finem minime pertinentia, valere sinat. Neque illum ab hac

persuasione omnia mortalium vel judicia vel exempla avocent. Si quem autem forteprehenderit in hujus divinæ sapientiæ possessione collocatum, quamvis humili & infima fortuna sit, hunc vere sapientem, hunc vere felicem, hunc beatum, hunc vere divitem, hunc liberum, hunc honoratum, hunc pulchrum, hunc delitiis affluentem, hunc in divinis oculis pretiosum, hunc mundi principem, hunc denique regem hominum judicet, illiusque se pedibus prosterrens ejus vestigia osculetur. His enim titulis philosophi olim suum illum sapientem ornabant. Hinc insignis illa poeta: (b)

*Ad summam, inquit, sapiens
uno minor est fove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex
denique regum.*

Si igitur hæc tanta laus humanæ sapientiæ, quid divinitus partæ tribuendum erit? Hujus ergo viri opes omnibus mundi opibus, omnibusque mundi regnis & sedibus anteferat. Et quomodo miraretur, si infimæ conditionis hominem ad regni solium, quod Saül ac Davidi contigit, subito evectum cerneret; sic etiam ac multo magis

(a) *Isai. 56. 7.* (b) *Horat. lib. 1. Epistolar. Epist. 1. v. 106.*

gis felicissimam ejus sortem miretur, qui sub tam vili habitu atque fortuna tantam celet gloriam & dignitatem.

Illud tamen hoc in loco meminisse oportet, quod initio diximus, non ad omnes hoc perfectissimum institutum pertinere. Prius enim cupiditates & affectus frenandi, prius ani-

ma per veram poenitentiam purganda, & virtutibus ornanda est, ut in ea cælestis hujus sapientiæ doctor sedere, & parvulum atque humilem discipulum erudire dignetur. Quam nobis gratiam Dominus Jesus, parvulorum doctor, concedere dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

AD LECTOREM.

SI quis in hoc die festo lectionem evangelicam enarrare voluerit, in concionibus beatissimi patris nostri Dominici explanatam.

* * * * *

IN SEQUENTES QUATTUOR DE BEATISSIMO
patre Francisco conciones ad pium lectorem

PRÆFATIO.

QUUM tam multa sint beatissimi patris Francisci virtutes & miracula, quæ de illo prædicantur, ut vix ulla oratione comprehendi valeant; nos ex multis ejus virtutibus, quas sanctissimus pater Bonaventura sanctissime & sapientissime scripsit, paucas seligentes, hunc in eis scribendis ordinem servare voluimus. In prima enim concione de evangelica paupertate, quæ in sanctissimo patre inter ceteras ejus virtutes mirabiliter enituit, differimus; in secunda de flagrantissima ejus caritate; in tertia de ceteris ejus virtutibus tractamus; in quarta vero admiranda quædam ejus opera & miracula recensemus, quæ Deum in sanctis suis non modo mirabilem, sed etiam amabilem faciunt, ut hac ratione auditorum mentes ad ejus amorem accendamus. Hæc igitur breviter admonere voluimus, ut studiosus concionator ex his, quid magis instituto suo conveniret, eligere facilius posset.